

269

267

273

263

278

258

318

218

368

168

Ende

Anfang

254

diu in Jerusalem fui et ultra decies intravi occulte et locum perspexi, semper tamen cum timore et tremore intravi et exivi, quia si aliquis (B) Sarracenus me ibi vidisset, in maximam tribulationem venissem, etiam si mortis periculum evasissem. Est enim capella longa arcuato opere facta, duas habens ad orientem fenestras, et in parte aquilonari marmoream tumbam, et pavimentum est mattis opertum. Lampades duae pendent in ea et nullum altare, nulla pictura, nulla sculptura, sed parietes dealbati et nudi. Sic etiam sunt aliae Sarracenorum muschkeae vacuae et inane. Ex dictis superius dubium animum pulsat, ut quid illi sancti reges thesauros secum sepeliri passi sunt, cum videatur ad superstitionem gentilium pertinere? Et qua arte Salomon loculos illos absconderit, quod nemo potest eos reperi? Ad primum dicendum, quod firmiter credendum est, quod sancti illi hoc fecerunt non ex incredula superstitione, aut temporalium intemperato amore, aut vitiosa ambitione, sed instinctu Spiritus sancti, ut tempore suo in communes usus venirent, et non ut insatiabilis Judaeorum avaritia nutriretur. Ad secundum dicendum, quod Josephus dicit, quod Salomon hoc egerit arte magica, sed Magister in scholastica historia eum excusat dicens, eum aliquo subtili ingenio illas tumbas abscondisse. De sepulchro David Sanct. Petrus Apostolus Actor. 2.: viri fratres liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha David, quoniam defunctus est et sepultus, et sepulchrum ejus apud nos est usque in hodiernum diem. Ex quo patet, quod etiam tempore Apostolorum locus ille fuit celebris. Sanctus Jeronymus credit, David cum Domino surrexisse, arguens ex hoc, quod S. Petrus dicit, sepulchrum David patens esse quasi, non audens dicere eum in eo amplius esse. Ecce haec et similia circa hunc locum tractavimus, et ea, quae in processionali terrae sanctae circa hunc locum dicenda signantur, devotius legimus et indulgentias accepimus (†).

De tabernaculo David, ubi et locus est, in quo Dominus Jesus praedicavit et beata Virgo audivit.

Confestim autem de atrio exivimus, et chorum antiquam ecclesiae Syon intravimus, qui penitus est destructus, dempta

